

Excursus ad v. 925.

Intactum reliqui $\xi\epsilon\nu\nu$, quod cum Brunckio paene omnes editores recentiores solius codicis Vatic. auctoritate in communem formam $\xi\epsilon\nu\nu$ mutaverunt. Operae pretium est pauca hic monere contra eos, quibus cum Elmsleio duntaxat metri causa Ionica forma a tragicis videtur usurpata esse. Ac primum quidem per se valde est improbable, tragicos, qui tam eximia pollerent arte versuum condendorum, plurimasque leges in componendis carminibus sibi scriberent, easque diligentissime observarent, quae observatu non poterant non difficillimae esse, hos, inquam, poetas in usurpandis Ionicis formis sola metri commoditate duci se passos esse. Est hoc eo incredibilius, quo plures harum formarum inveniuntur, quas, si voluissent tragicci, facillime evitare poterant. Ita profecto non erat difficile ubique metro aptare formam $\xi\epsilon\nu\nu$, quae innumeris in locis usurpata reperitur. Accedit, quod nonnunquam ab uno tragicorum formas quasdam Ionicas receptas videmus, quas reliqui aspernati sunt. Sic Sophocles non raro in trimetris iambicis, systematis anapaesticis et carminibus melicis usus est forma $\mu\nu\nu\nu$, qua abstinuit Euripides, et, quantum memini, Aeschylus. Errat certe Meinekius Quaest. Menandr. sp. pr. p. 32. in Aeschyli Pers. 810. $\mu\nu\nu\nu$ legi dicens. Itaque Sophocles existimandus esset aut minore versuum faciendo rum facultate praeditus fuisse, ut nesciret formam illam, ab Aeschylo et Euripide improbatam, evitare, aut adeo fuisse negligens, ut, prouti metro commodum esset, nunc communem, nunc Ionicam formam sine delectu admittendam putaret. Quod cum ab omni probabilitate abhorreat, necesse est idonea ratione ductos esse tragicos statuamus, ubi Ionicis formis uti malling quam communibus, quae non minus facile metro accommodari poterant. Atque ut nunc de formis $\mu\nu\nu\nu$ et $\xi\epsilon\nu\nu$ tantum loquar, qui mecum consideraverit locos, in quibus Sophocles has formas in trimetros recepit, facile intelliget non nisi tum usurpatas esse, quum haec verba aliquo cum affectu pronuntianda essent. Sic $\mu\nu\nu\nu$, quod in his locis occurrit: Aiac. 1276. Electr. 531. Oed. R. 304. 1418. Antig. 308. 508. 705. Oed. Col. 991. 1250. Trach. 277. 1209. Nunquam enim Sophoclem in tali fere formula, qualis est $\text{o} \nu \mu\nu\nu$, $\alpha\lambda\lambda\alpha \kappa\alpha\iota$, Ionicam usurpasse formam videmus. Idem valet de $\xi\epsilon\nu\nu$, quae forma praeter